

V

PRAECLARVM ATILI REGVLI EXEMPLVM

Strophe Alcaica

Caelō tonantem crēdidimus Iovem
Rēgnāre : praesēns dīvus habēbitur
Augustus, adiectīs Britannīs
Imperiō gravibusque Persīs.

Mīlesne Crassī coniuge barbarā
Turpis marītus vīxit ? Et hostium
– Prō cūria, inversīque mōrēs ! –
Cōsensuit socerōrum in arvīs,

Sub rēge Mēdō, Mārsus et Āpulus,
Ancīliōrum et nōminis et togae
Oblītus, aeternaeque Vestae,
Incolumī Iove et urbe Rōmā ?

Hoc cāverat mēns prōvida Rēgulī,
Dissentientis condiciōnibus
Foedīs et exemplō, trahentī
Perniciem veniēns in aevum,

Sī nōn perīret^t immiserābilis
Captīva pūbes. ‘Sīgna ego Pūnicīs
Affīxa dēlūbrīs, et arma
Mīlitibus sine caede’, dīxit,

‘Dērepta vīdī : vīdī ego cīvium
Retorta tergō braccia liberō,
Portāsque nōn clausās, et arva
Mārte colī populāta nostrō.

Aurō repēnsus scīlicet ācrior
Mīles redībit : flāgitiō additis
Damnum ! Neque āmissōs colōrēs
Lāna refert medicāta fūcō :

Nec vēra virtūs, cum semel excidit,
Cūrat repōnī dēteriōribus.
Sī pūgnat extrīcāta dēnsīs
Cerva plagīs, erit ille fortis,

Quī perfidīs sē crēdidit hostibus ;
Et Mārte Poenōs prōteret alterō,
Quī lōra restrictīs lacertīs
Sēnsit iners, timuitque mortem.

Hic, unde vītam sūmeret, īncius,
Pācem duellō miscuit. Ō pudor !
Ō magna Carthāgō, probrosīs
Altior Ītaliae ruīnīs !’

Fertur pudīcae coniugis ōsculum,
Parvōsque nātōs, ut capitis minor,
Ab sē remōvisse et virīlem
Torvus humī posuisse vultum,

Dōnec labantēs cōnsiliō patrēs
Firmāret auctor numquam aliās datō,
Interque maerentēs amīcōs
Ēgregius properāret exsul.

Atquī sciēbat, quae sibi barbarus
Tortor parāret : nōn aliter tamen
Dīmōvit obstantēs propinquōs,
Et populum, reditūs morantem,

Quam sī clientum longa negōtia,
Dīiūdicātā līte, relinqueret,
Tendēns Venāfrānōs in agrōs,
Aut Lacedaemonium Tarentum.